

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Justus Christoph Schomer


**Programma, Quo Rector Universitatis Rostochiensis Iustus Christophorus  
Schomerus, S. Theol. D. & Prof. Prim. communis ... De Festo S. Michaelis recte  
considerando Omnes Omnim Ordinum Cives Academicos more maiorum  
admonet [P.P. Sub Sigillo Rectorali Rostochii ipso die Michaelis, Anno Christi M  
DC XXCVII.]**

Rostochii: Wepplingius, [1687]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742501132>

Druck    Freier  Zugang





T. 512.

1687. Mich.

~~M-1256~~ ss.

1687 25

PROGRAMMA,  
QVO  
RECTOR  
*UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS*  
**JUSTUS CHRISTO-**  
**PHORUS SCHOMERUS.**

S.Theol. D. & Prof. Prim. communis Sereniss.

Ducum Consistorii hoc anno Director, & Superin-  
tendens Mecklenburgensis,



DE  
**FESTO**  
**S. MICHA-**  
**ELIS**

recte considerando

*Omnes Omnia Ordinum Cives Academicos  
more majorum admonet.*

ROSTOCHII

Typis JOH. WEPPLINGII, Acad. Typogr.

M-1256 50

I prima incunabula hujus festi , qvod  
hodie nobis recurrit,intuemur curatiū,  
habemus in qvo superstitionem potius  
hominum doleamus , qvām laudemus  
pietatem. Angelus sanctus arcanorum  
Johanni Apostolo revelator in Apoca-  
lypsi illius bis legitur religiosæ adora-  
tionis honorem recusasse, monens pro-  
stratum sibi ad pedes Theologum,qvōd  
soli Deo ille cultus debeatur:at postqvā  
à primâ Evangelii puritate paulatim deflectere cœperunt studia  
hominum , cum ipsorum superstitione etiam crescere visa est  
ambitio cœlestium spirituum, ut quācunq; impostorem arte  
commendarentur ( vel illius etiam figurarentur dolo,qvi se an-  
gelum lucis mentiri solet ) variae apparitiones angelicæ religi-  
osam sui venerationem,qvæsi jam mutata mente, solicite juben-  
tes. Michaëlem archangelum præcipue hujus rei studiosum nobis  
fabulatores depingunt , de qvo jam suo tempore famam percre-  
buisse , quod in ecclesiâ quadam in Hestis à Constantino M.  
extructâ , freqvente miraculo appareret , narrat Sozomenus,  
seq; ipsum ejus rei veritatem comperisse censem, unde locus  
*Michaëliū dici cœperit.* Sed qvæ hīc laudantur modestiora hujus-  
modi famæ initia , postea posito pudore in apertam prorupere  
fingendi fallendiq; insaniam.. Garganus mons est Apuliae, in  
qvo sibi templum & honorem sacram statuendum hoc modo  
procurasse dicitur idem archangelus : *Civis quidam Sipontinus,*  
(ut or verbis jov.Pontani in hist. Neapol.) armentalem taurum, qui  
a grege aberrarat, qvaritans, inventum tandem ad speluncam in vi-  
vo cavatam saxo, irâ percitus sagittâ petiit. Ea ubi tergum cauri  
attigit retroflexa è vestigio in jaculatorem versa est. Eā re in religio-  
nem versâ Laurentio sacerdoti res aperitur. Is indicto trium dierum  
jejunio Michælem Archangelum in somnis videt, affirmantem suā o-  
pera taurum indicem basilica extirisse , qvam inabitare velleb<sup>t</sup> ab  
hominibus coli.Specus igitur consecratur,Et augustissimum ibidem tem-  
plum extruitur , quod plurimi mortales quotannis accedere solent.  
Ita etiam Colossis, qvæ postea Conæ dictæ, qvamvis Paulus ipse  
colle-

collectam istic ecclesiam ab angelolatriâ dehortatus erat, refusante miraculi operatione factum esse observat ex metaphraste Bzovius, ut archangelus Michaël templo & congruo istic coletur honore. In Franciâ Rege Childeberto accidisse refert Sigebertus, ut Archangelus Michaël apparetur Auberto Abrincateni episcopo, moneret eum semel atque iterum, ut in loco maris, qui propter eminentiam sui Tumba vocatur, fundaret ecclesiam in memoriam sui, volentis talem venerationem exhiberi sibi in pelago, qualis exhibetur in monte Gargano. Interim taurus a leone furtim raptus in illo loco religatur. Unde episcopus tertio admonitus, ut in illo loco fundamenta jaceret, ubi taurum religatum inveniret, & sicut eum terram pedibus prorivuisse videret, sic ecclesia ambitum duceret, ecclesiam in honorem sancti Michaelis constituit: & ex hoc tempore sicut in monte Gargano, ita etiam illo in loco, quod modo dicitur, in periculo maris, veneratione angeli capit frequentari. Astuans scilicet majoris indes honoris cupiditate angelus acqviscere non potuit ante quam Francos & eqvæ ac Italos & Phrygios novâ religione sui imbuisset; sacro utrobique boum signo usus, admodum fatalis Israëli, in vitulo aureo primam quondam apostasiam facienti. Ut autem monitis Gargani religio aliis pro exemplo hic obtrusa esse legitur, ita eadem passim inter Latinos celebris fuit, ut & ab ejus templi dedicatione apud omnes occidentis populos annum S. Michaelis festam descenderit, sicut apud Græcos ab apparitione illâ quæ in Conis. In Romano quidem martyrologio duplex apparet nomini Michaelis sacra commemoratio, altera apparitionis, octavo Idus Maji, altera dedicationis templi, III. Kal. Octobris, sive hoc XXIX. Septembbris die, qui hodie illexit; sed hujus celebritas illam priorem solennitatem ferè extinxit. Nam & in hoc singulare miraculum accidisse narrant, quo illud prius visum est superari. Cum enim Sipontini ante os speluncæ, ubi angelus apparuerat, quotidie orationibus vacarent, & adhuc dubitarent, locumne ingredi vel dedicare auderent, Episcopus Rom. Pontificem consuluit, qui porro requirendam de his Archangeli voluntatem esse censuit, instantibus ergo cunctis triduo jejunio, apparuit hoc die Michaelis episcopo, dieens, non esse opus ecclesiam, quam ipse adificaverat, dedicari: se enim, qui condiderit, etiam consecrasset.

gratipq; ut die sequenti ingrediens divinacelabaret mysteria. Ex-  
orto igitur sole episcopus cum omni populo ingressus antrum, invenit  
in eo excisam amplitudinem magnam, & in eâ altaria tria, fontem  
quoq; stillantem è perrâ aquam dulcissimam, & vas vitreum pensile  
ex catenâ argenteâ. His ad papam delatis III. Kal. Octobris sanctum  
Festivum instituit in honorem Michaëli & reliquorum angelorum.  
Hinc jam communiter etiam Festum dedicationis S. Michaëli appellatur.  
Græci autem qvia aliam festi causam celebrant, alium  
qvoq; ve diem, nempe VIII. idus, seu sextum Septembris obser-  
vant. Anonymus ille, qvi in collectione historiæ expeditionum  
orientalium, qvæ Gesta Dei per Francos inscribitur, primo loco  
collocatur, diem dedicationis s. Mikaeli nominat, qvi sit in Kal.  
Octobris, sed omnino credo mendum istic in textu obrepississe &  
pro in legendum esse III. nec qvamvis in oriente acciderint, qvæ  
narrat, alium intelligi diem, qvam qvem Franci sacrum hodieq;  
habent. At qvis ille pontifex sit, qvi festum hujus diei instituerit,  
incertum est. Sigebertus seculi ineuntis XII. scriptor, ad Gelasii  
papæ Romani tempora, id est, ad finem seculi V, qvamvis non  
sine errore chronologia fabulam refert, sed in Ms. qvodam Va-  
ticano annum DXXXVI. designari docet Baronius, & sic alium  
qvoq; Pontificem auctorem innui oportet. Nec mirum hoc;  
qvæ enim incertos auctores habent, & incertam ætatem habe-  
re solent fabulæ. Templa Michaëlis nomine jam seculo IV. in-  
scripta fuisse, constat ex Sozomeni loco, qvem laudavit, & ex a-  
ctis Eutonomi, si Surio collectori creditur. Justiniani tempore  
fuisse illa satis freqventia probabile est ex l. 26. s. 1. C. de SS. Ecclesi  
ubi si quid archangelo relictū esse dicatur, qvam vim habere de-  
beant verba testamenti, exponitur, nempe si qvidem aliquis sit  
in illâ civitate vel viciniâ ejus venerabilis locus in honorē illius reveren-  
dissimi archangeli constructus, videri ipsum scriptum esse heredem: si  
vero nullus talis locus est in illâ civitate viciniâ ejus, tunc venerabili-  
lia loca, qvæ in metropoli ejus sunt, videri instituta. Certè multâ  
angelorum superstitione jam tunc imbutam fuisse ecclesiam, pa-  
tet ex jure jurando, qvod legitur præscriptum Nov. VIII. per  
sanctos archangelos, Michaëlem & Gabrielem. Nec dum tamen  
tempore peculiaris festi aliqua vestigia animadver-  
sumus

timus, nec quando illud primum celebrari cœperit, certò au-  
demus definire. Seculo XII. id in oriente obtinuisse, docet  
novella Manuelis Comneni, qvæ inter eos dies, qui judicium  
ex parte sicut sunt, nec toti feriati esse debent, primo loco nume-  
rat illū, *quo in Conū summi ducis Michaëlis miraculum prodigiose per-*  
*agitur*: in anterioribus legibus, præsertim *βασιλικῶν* libris, qvæ  
seculo IX. prodierunt, perinde ut in utroque Codice, altum de eo  
silentium est, ubi de feriis agitur. Nec tamen inde audeo con-  
cludere, nondum introductum fuisse, cum mensis totus vindemi-  
arum feriis datus, qui juxta interpretationem *l. 2. C. Theod. b. t.*  
à Kal. Septembbris adusq; idus Octobris porrigitur, diem illum, in  
qvem hæc memoria incidit, ambitu suo complectatur, ut qvam-  
vis sacer fuerit, ejus tamen mentio pōtuerit omitti. In occidente  
jam tum *Gregorii I. Papæ Romani ætate*, quæ *Justiniane* non mul-  
tò est recentior, hic dies *Michaëli* sacer fuisse videtur, non tan-  
tum ob homiliam qvandam, qvæ teste *Baronio* ad martyrologiū  
Rom. in bibliothecā Vaticanā reperitur sub nomine *S. Grego-*  
*rīi*, in festivitate *S. Michaëlis*, sed & ex ejusdem sacramentario,  
in quo officium ejus diei continetur. Attamen ut MS. illud Gre-  
gorio vindicare disertis verbis non audet *Baronius*, ita Sacra-  
mentorum librum variè interpolatum esse, ipse ejus editor *Hugo Me-*  
*nardus* fatetur. *Caroli M. tempore* tamen iam extitisse hujus  
memoriae solennitatem, intelligimus tum ex *Can. XXXVI. Con-*  
*cilii Moguntini*, qvod anno 813, celebratum est, *dedicationem san-*  
*cti Michaëli* inter festos dies numerante, tum ex capitularibus  
Regum Franciæ *l. 2. c. 35.* Qvis autem & cuius dignitatis ille Mi-  
chaël sit, qvem hoc festo honorant, opinionibus dissident Pon-  
tificii. *Dionysius* ille vulgo Areopagita dictus vel creditus, qui  
primus cœlestium spirituum ordines suis classibus qvæsi  
*awm-*  
*ptys* distinxit, archangelos penultimo loco ponit, dum tertiam  
hierarchiam ex Principatibus, Archangelis atque Angelis effor-  
mat. Unde qvia *Michaël Archangelus* vocatur, ad illam penul-  
timam angelorum classem videbatur pertinere, qvo nec obscu-  
rè illum refert *Gregorius Papa b. mil. 34. in Evang.* At qvia *Dana-*  
*X. 13. Michaël* unus de principibus vocatur, *Thomas. part. i. q. 113. a-*  
*pt. 3. hærcere* videtur, magisne ad Principatus pertineat. Un-  
de alii


de aliis illum principem faciunt ultimæ hierarchiaæ, vid. in b.l. Cor  
nel à Lapide, p.m. 1308. Verum enim verò communior tamen  
sententia est, eum & naturæ & gratiæ & gloriæ dignitate esse  
absolutè primum & omnium omnino angelorum principem,  
qvod ecclesia illum vocet primatem cœlestis exercitūs, & ita ipsum  
missale, qvod dicitur, Gregorij in solenni præfatione de ipso pre-  
catur: quāvis nobis sit omnis Angelica veneranda sublimitas, que  
in Majestate tua consistit conspectu: illa tamen est propensius honoran-  
da, que in ejus ordinis dignitate cœlestis militia meruit principatum.  
Qvæ ut à verbis & sententiâ viri, qvam habet in homiliâ modo  
laudatâ, multum abeunt, ita infarta ejus Sacramentario esse a-  
lienâ manu, nec Gregorio hoc festum unquam innotuisse, sa-  
tis ostendunt. Pingunt Michaëlem vulgo ut alatum juvenem  
cum gladio & scuto, qvod contra draconem pugnasse legatur  
*Apocal. XII, 7.* vel etiam cum gladio & staterâ, qvia, ut docet Vie-  
gas, creditur animarum è corpore discedentium particulare ju-  
dicium exercere, ut summa ejus potestas justitiaeque æqualitas  
declaretur in nostris sive meritis sive demeritis ponderandis.  
Nec desunt, qvas alioquin de sanctis hominibus ostentant, etiam  
de angelo hoc reliquiæ, ut præter Calvinum vol. tr. act. Theol. p.m.  
342. etiam Lescarbotum Pontificium testari notat Dallæus, quas  
Carcassones & Turonenses in Galliâ præferebant qvondam,  
nunc autem pudore victi supprimunt, nempe sica, pugioni pue-  
rili persimilis, & clipeus ei valde accommodatus, similis cu-  
curbitulis æreis, qvæ frenis eqvorum affigi solent; quasi scilicet si-  
cis & mucronibus contra diabulos ab angelis bellâ geratur. Reli-  
gio autem hujus festi tantò ipsis major est, quantò augustiora ab  
hoc patrono sperant commoda. In Gregoriano, qvod dicitur,  
Sacramentario qvidem modestius adhuc ejus tantum suffragia &  
intercessiones sibi exposunt: Beati archangeli tui Michaëlis in-  
tercessione suffulti supplices te, Domine, deprecamur; item: Beati Mi-  
chaëlis Archangeli fac supplicem deprecationibus sublevaris; qvanquâ &  
illæ preces in officium Christi sacerdotiale, injuriaæ sunt i. Joh. 2. 1.  
*Hebr. 7. 25. Rom 8. 31. 1. Tim. 2. 5.* sed multò altius assurrexit illa qvon-  
dam oratio, qvâ ipse angelus ad Sipontinum episcopum usus  
esse dicitur: Michaël ego sum, qui hoc excavato saxe, hoc an-  
tro, hoc habitaculo, his assidue manantibus fillis abluturus sum ac-  
de-

*deleturus meam ad aram confugientium mortaliū peccati.* A  
quo tantum beneficium speratur, ab eo & minora alia sperari mi-  
rum non est. Ille igitur ut omniū angelorū caput, universalis ec-  
clesiae patronus atq; protector a Deo institutus esse dicitur, qvem  
Litaniā angelicā ita invocant: *Sancte Michael, qui populo Dei sem-  
per defensor fuisti. Sancte Michael, qui Luciferum cum complicibus re-  
bellibus de cælo turbasti. Sancte Michael, qui accusatorem fratrū  
nostrorum in profundum inferni dejecesti.* Et qvia militiae dux est,  
jam etiam adversis hostes terrenos victorias largiri creditur,  
ut de Justiniano Imperatore ipso narrat Procopius, si talem tan-  
tumq; ducem sibi conciliaret, qui rebelles angelos, cientes in  
cœloprælium, superasset, certa securamq; de vincendis Wanda-  
lis in eo potuisse haberii fiduciam. Qvin & Constantino M. renun-  
ciasse ferunt, qvòd ipsi contra impios tyrannos belligeranti au-  
xiliaria arma tulerit; nedum Lesco polonorum principi contra  
Litvanos suā ope victoriā promisissē. Nam qvod Gentilibus fuit  
Mars, scilicet dux & præses bellorū, Christianis his est S. Michael.  
Quā de' causā templa & oratoria, quæ olim gentiles Marti de-  
dicaverant Antverpiæ, Leodii, Luneburgi, Bonnis, Coloniæ,  
&c. ipsi in honorem S. Michaelis dedicarunt & cognominarunt.  
Quare & Imperatores Græci vexillū S. Michaelis tariqvam archi-  
strategi imagine insigniverunt: ut nos partim ex Braunio &  
Serrario partim ex Cypopalatā docet idem, qvem antea nomina-  
vimus, Cornelius p. 1387. conf. & Stengelius ap. *Danh. part. i. H. P.*  
p. 1082. Ad tantam igitur superstitionem hominum exhorrescen-  
tes poteramus hoc festum ut multa alia Pontificiis celebria pla-  
nè abolere, quod & à Calvinianis passim, præterqvam in Angliā,  
factum est, nisi celebritas hujus diei, tertium anni quadrantem  
populo signantis, æstatisq; delicias succedente frigidore anni  
tempestate claudentis, eò nos vocasset, ut veram potius veri  
cultū divini rationem in eo qvareremus. Quemadmodum  
enīm ordinationes festorum posse recipi, responderunt Theo-  
logi qvondam nostri de libro *interim* consulti, si sunt absq; invoca-  
tionē sanctorum, & aliis manifestis abusibus, ita etiam hujus  
festi solemnia ab abusu suo separata retinere voluerunt. Du-  
plex autem ratio est, qvā abusu illi separentur; altera, quā no-  
men Michaelis, qvod in *Daniele* & *Apocalypsi*, & *Archangeli*, qvod  
apud

apud Paulum occurrit, videntur melius in Christum ipsum, qui  
revera magnus angelus foederis *Mal. 3. 1.* & angelorum princeps  
ac caput est *Eph. 1. 21. Hebr. 1. 6.* quā in creatum angelum conve-  
nire, tum quia in victoriā Michaēlis contra draconem potestas  
Christi dilectis verbis prædicatur *Apoc. 12. 10.* tum etiam ex ipsā  
nominis ratione, quā נָשָׁר qvis Deo similis sit a-  
lius, provocatur; ut ita hoc festum directò in hono-  
rem ipsius Christi celebretur. Altera, quā occasio capitur, de  
S. Angelis eorumq; officio pias meditationes suscipiendi, Deoq;  
gratias agendi ob illorum custodiam. Hanç posteriorem hujus  
festi obeundi rationē præscribit constitutio ecclesiastica Meck-  
lenburgensis, fol. 160. b. eandemq; suo tempore servari in Brun-  
vicensi ecclesiā, docet Chemnitius part. 4. exam. concil. Trid. p. m.  
818. addens, quod & publica celebretur gratiarum actio pro per-  
ceptis per totum annum fructibus. Festum aliquin angelo custodi  
peculiare celebrare concessit hoc seculo Paulus V. quod no-  
tatur in officiis ordinis Minorum, diesq; illi dictus est postridie  
festi hujus Michaēlis. Nos qui præter Scripturæ S. oracula ange-  
lorum custodias certis numeris non distribuimus, nec alia, quā  
Apostolica monita patiuntur, illorum religione tenemur, spre-  
tis novis ejusmodi inventis, inhunc diem omnis quæ huic perti-  
net pietatis memoriam conjicimus. Atq; age nunc, Cives Acade-  
mici, vestris quisque titulis honorandi, pro officio Rectorali vos  
hortor, ut evitataq; sedulò omni superstitionis imitatione, gratiā  
Dei, qui coelestium spirituum majestatē nostræ infirmitati ministrā  
fecit, ita extollatis, ut & tantorum vigulum præsidia, qui præsen-  
tes nos observant, in omni angulo dignè revere amini, nec sub his  
ingruentibus brumalibus tenebris, in quas æstatis nunc amœ-  
nitas desinit, tenebrarum operibus purissimas mentes offendatis.  
Ad sunt nobis arbitrii rerum nostrarum, quorū sanctitas nobis pro  
imitationis exemplo proponitur quotidianis precibus, cum ora-  
re Deum jubemur, ut à nobis in terrā ipsius observetur voluntas,  
sicut fit in cœlis: erigat nos hodie repetita angelici nominis me-  
moria, ut ad hunc finem eò alacriore studio contendamus, quò  
proprius ad sunt, qui nos sui quā simillimos esse exoptant, & pro-  
fectibus nostris delectantur. Ita fiet, ut coram illis, tanquam in  
luce semper positi, optimis in oribus versemur. P. P. Sub Si-  
gillo Rectorali Rostocii ipso die Michaēlis, Anno Christi  
*M DC XXCVII.*

85(0)9





delecturus meam ad aram confugientium mortali  
 quo tantum beneficium speratur, ab eo & mir  
 rum non est. Ille igitur ut omniū angelorū ca  
 clesiæ patronus atq; protector a Deo institutu  
 Litaniâ angelicâ ita invocant: Sancte Michaël  
 per defensor fuisisti. Sancte Michaël, qui Luciferum  
 bellibus de cœlo deturbasti. Sancte Michael, qui a  
 nostrorum in profundum inferni deieciisti. Et qu  
 jam etiam adversis hostes terrenos victorias  
 ut de Justiniano Imperatore ipso narrat Proco  
 tumq; ducem sibi conciliaret, qui rebelles a  
 cœloprælium, superasset, certa securamque de  
 lis in eo potuisse haberi fiduciam. Quid & Conf  
 ciasse ferunt, qvòd ipsi contra impios tyranno  
 xiliaria arma tulerit; nedum Lescu polonorur  
 Litvanos suā ope victoriā promisisse. Nam qv  
 Mars, scilicet dux & præses bellorū, Christianis  
 Qvā de' causā templa & oratoria, quæ olim g  
 dicaverant Antverpiæ, Leodii, Luneburgi,  
 &c. ipsi in honorem S. Michaëlis dedicarunt &  
 Quare & Imperatores Græci vexillū S. Michaël  
 strategi imagine insigniverunt: ut nos parti  
 Serrario partim ex Europalatâ docet idem, qven  
 vimus, Cornelius p. 1387. conf. & Stengelius ap. 2  
 p. 1082. Ad tantam igitur superstitionem hominu  
 tes poteramus hoc festum ut multa alia Pontifi  
 ne abolere, quod & à Calvinianis passim, præter  
 factum est, nisi celebritas hujus diei, tertium a  
 populo signantis, æstatisqve delicias succedente  
 tempestate claudentis, eò nos vocasset, ut ve  
 cultus divini rationem in eo qværeremus. Q  
 enim ordinationes festorum posse recipi, respo  
 logi qvondam nostri de libro *interim* consulti, si  
 catione sanctorum, & aliis manifestis abusibus,  
 festi solemnia ab abusu suo separata retinere vo  
 plex autem ratio est, qvā abusus illi separentur; a  
 men Michaëlis, qvod in Daniele & Apocalypsi, &

